



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

Capvt XVII. Monstrositatem omnem cessaturam apud Beatos, futura[m]
autem, apud damnatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

gellis erudit; comminatione concutit; ac beneficijs emollit. Ipse Deus dulcissimus corda nostra intuetur approbando, tangit excitando, visitat consolando, viuificat iustificando, aperit irrorando; de quibus omnibus gratiarum actiones nos referre conuenit indefesse. Immò etiam tum, quando defectum aliquem naturæ, in hac vita, non supplet; quia mali, qui conotantur, eo digni sunt; boni autem spem habent, illum in altera vita centies millies compensandum.

CAPVT XVII.

*Monstrositatem omnem cessaturam apud
Beatos, futuram autem apud
damnatos.*

§. I.

*Monstrosos homines aeterna vita capaces
esse.*

Antú abest, vt Deus sit iniquus, si defectum corporis humani, aut formam informem esse finit (nam de bestijs, aut plantis monstrosis neque quærere homines, neque queri valde solent) vt eam etiam, tanquam Mundi Gubernator, certis terminis ac regionibus

bus

bus couenienter procuret; certis caussis naturalibus concurrentibus appositè permittat; certis significationibus prouidè anteponat; certis sceleribus justè annexat; idq; vel in pœnam, vt iudex, vel, vt Medicus, in medicinam; vel, vt sponsus, in tutelam. Denique etiam nouit defectū, qui monstrosis inest, vel in hac, vel certè in altera vita millies compensare. Non enim resurgent saluandi, cum vlla monstrositate. Et homines monstrosos, rationis, virtutis, & adeò etiam æternæ salutis capaces esse, docet S. Augustinus, cum scribit, *animal rationale esse hominē, quamlibet nostris inuisitatum sensibus gerat corporis formam, seu colorem, siue motum, siue sonum, siue quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate natura.* Et alibi (si idem author est) testatur, se ad monstra caput non habentia, & oculos in pectore gerentia, ac vno prædita, serendi Euangelij causa, profectum, cum nosset, ea gentilitatis errore implicata, & ratione alicuius, tametsi falsæ religionis, duci. Docentq; etiam Morales Theologi, ea monstra, quæ præcipua membra humana motusque humanos habent, baptizanda. Quorsum? nisi

S. Aug. l. 16. ciuit. c. 18.

Ad fratres in Eremo cap. 37.

nisi vt salutem æternam consequi possint ?

§. II.

Omnibus Sanctorum membris suum decorem futurum.

Quod si ergo ita se gerant hæc monstra, vt cælo digna iudicentur, resurgent utiq; , in die resurrectionis, membris in decoram cæloq; dignam formam reformatis; vt tradit idem Augustinus; neque obscure insinuat Apostolus dicens: *Cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso, in gloria, corporis scilicet, & animæ.* Quæ autem gloria foret, monstruosum esse? Nunc quidem elegans anima potest informi corpore regi, sed tunc gloria & corpus, & animam circumdabit.

Delitescit margarita, inquit ex S. Chrystomo Theophylactus, tantisper, dum in conchyli fuerit; simul ac verò illud fuerit perfractum, tum in gloria relucet. Hunc admodum & nos, quàm diu in corruptibili isto corpore fuerimus, tanquam latentes vivere debemus, & ab omni gloria cupiditate alieni. Quando autem dissolutum fuerit hoc corruptibile, tunc gloria nostra suus erit locus, si hæc digni fuerimus. Quin & alio loco affirmat, nos occururos Christo, in virum perfectum,

Qq

in

S. Aug. in Enchirid. ad Laurent. c. 87. & 91. Coloss. 3. 4.

Theoph. in Ep. ad Coloss. cap. 3.

Ephes. 4. *in mensurā etatis plenitudinis Christi. Quod*
 13. *S. August. cum S. Augustinus accipiat etiam de aeta-*
 l. 22. c. 10. *te, in qua omnes resurgemus, cur non etiā*
 cap. 10. *de corpore perfecto, glorioso, licet non*
æquè glorioso, intelligamus? Differt enim
Sanctus à Sancto, sicut stella, à stella. Pru-
dentius Christianus Poëta ita canit:

Qui reparat corpus, non reddet debile
quicquam,

Nam si debilitas redit, instauratio non
est.

Quod casus rapuit, quod morbus, quod
dolor hausit:

Quod truncavit edax senium, populans
te veterno,

Omne reuertenti reparata in membra
redibit.

§. III.

Vt in Christo resurgente, ita & in alijs Sanctis
quedam vulnera, tanquam virtutis te-
stimonia, mansura.

Duplex tamen hinc defectuum discrimē
 animaduerto. Sunt enim aliæ corporum
 deformitates ex defectu naturæ, siue ex
 utero matris hominibus agnatæ, siue ali-
 unde contractæ, vt gibber, lippitudo, clau-
 dicatio: aliæ, aut per iniurias hominum;

aut

aut ob propria delicta flagitiaq; illata: neque enim tantum homicidæ, & Sodomitæ laminis candentibus vsti sunt, ob flagitia, quæ commiserunt; sed etiam Apostoli propter Christum, ac fidem Christi *distenti sunt*, Hebr. iii; *ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Quemadmodum igitur Saluator noster vulnerum suorum purpureas, ac stellarum instar splendidas cicatrices in corpore suo D. Thomæ Apostolisq; ceteris, post resurrectionem, ostendit, ostendetq;, in iudicio, damnandis, ut videant, *in quem transfixerunt!* ita Ioan. iij; veteres Theologi crediderunt, noniq; non pauci subscribunt, Apostolos, aliosq; SS. Martyres itidem cum cicatricibus quarundam plagarum, pro Christi fide acceptarum, non in ignominiam, & deformitatem, sed in sempiternum fortitudinis suæ decus, resurrecturos. Hanc sententiam perspicue indicat D. Augustinus his verbis: *Nescio, quo modo sic afficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed digni-*

Hebr. iii;

35.

Ioan. iij;

37.

S. Augu-

stin. l. 22;

de ciuit.

c. 20.

tas erit: & quadam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen, si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum: quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo novo seculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortalis carne cernantur, ubi membra, ut praeciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eiusdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamvis itaque, omnia, quae acciderunt corpori, vitia, tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia. Quod si ita est, ut valde credibile est, quantus mortalibus additur stimulus, ad multa pro Christo tormenta fortissime patienda? Stigmata enim illa; stigmata, erunt honoris non servitutis; pugnae, victorias, triumphos martyrum aeternum testatura. Quis enim non exultet, si sic ferro, igni, & omni genere tormentorum in hac vita deformetur; ut deformitas illa mutetur in tam gloriosam venustatem? Quae nunc enim est impressio cicatricis, tunc erit inscriptio virtutis; non cruenta,

sed

sed radiosa; venerabilis, non detestabilis;
non tegenda, sed suspicienda.

§. IV.

*An, & quæ monstrositates sint in damnandis
mansura?*

E diuerso autem ad impios quod atti-
net, ob crimina sua notatos, aut etiam, ex
naturæ defectu, monstrosè natos, vtique
credibile est, eis quoque deformitates
suas, quæ veritati & integritati naturæ
non obstant, saltem in vestigijs quibus-
dam, relinquendas, cùm Apostolus dicat:

Omnes quidem resurgemus, sed non omnes im- 1. Cor. 15.
mutabimur. In quæ verba S. Ambrosius 51.

ait: *Omnes homines resurgent, sed soli, qui* S. Ambr.
regnaturi sunt, in gloriam mutabuntur. Vnde in Com-
& dicit Apostolus: Et nos immutabimur. Quòd ment.

si character, siue signum Christianismi,
quod quis accipit, in sacramento Baptis-
matis, & Confirmationis, aut etiam Ordinis,
in maiorem damnati pudorem crucia-
tumq; tum manebit; probabile est, etiam
gibbum, & tubera, & verrucas maculas-
que, & quicquid deformitatis propemodũ
damandus in hac vita habuit, etiam illi in
inferno mansurum. Cur enim ibi pulchri-
ores isti fieri deberent? qui etiam futuri

Q9 3

despera-

desperatione ex oculis & vultu omni relucente, defermiores sunt ac monstrosiores? Damnati certè nulla corporum pulchritudine gaudebunt, sed si ipsi monstra non erunt, certè horribilibus formis sui ipsorum & cacodæmonum vndique aspectis cruciabuntur. Quis enim solet esse plorantium, eiulantium, desperatorum vultus? nonne tristissimus? Quare non solum talibus in laruis mali dæmones sese conspicuos dabunt; sed ipsi quoq; homines in detestandâ formâ, se mutuò intuebuntur. Quod etsi longè certius est, quàm vitæ huius in illis monstrositates ad corporis integritatem, & naturæ humanæ veritatem non pertinentes perseveraturas, tamè & hoc ipsum non caret sua probabilitate. Non enim in gloriam, sed in ignominiam mutabuntur. Virtutem igitur colant, qui volunt sua monstrositate liberari, vt & ipsi in gloriam mutantur. Hæc autem de damnatorum mansura monstrositate, vt vero similiter creduntur, ita non asseruntur, vt certa. Quippe sapienter S. Augustinus scribit: *Quicumq; ab illa perditionis massa, qua per Adam facta est, non liberantur, per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, unusquisq;*

S. Aug. in
Enchirid.
ad Lau-
gent. c. 92.

rum sua carne; sed ut cum diabolo eiusq; Angelis puniantur. Utrum verò ipsi cum vitis & deformatibus corporum suorum resurgant, quæcumq; in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Paulò tamen suprà ita loquitur: Neq; monstra, quæ nascuntur & viuunt, quamlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potius correctà emendatq; natura. Absit enim ut illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente, de quo & fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, & S. memoria Hieronymus presbyter scriptum reliquit: absit, inquam, ut hunc hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cetera, quæ singuli quicq; partus vel amplius, vel minus aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humane naturæ figuram resurrectione reuocabuntur: ita ut singule animæ singula sua corpora obtineant, nullis coherentibus, etiam quæcumq; coherentia nata fuerant: sed seorsim sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani

Qq 4

corporis

Vide S.
Thomam
in 4. cont.
gent. cap.
89.
S. Aug. in
Enchirid
c. 87.

S. Hiero-
nym. ad
Vitalcm.

corporis complectur integritas. Quid si enim vnus istorum sanctus, alter impius fuisset, nuncquid separandi essent, vt vnus in cælum conscendere posset, alter descenderet in infernum? Facilius esset credere, concretis corporibus mansuros, si vterq; peccando damnari meruisset. Quemadmodum autem Christus, etsi lateris, & à clauis relictas manuum pedumque cicatrices seruauit, easque admodum decoras Apostolis monstrauit, non tamen seruauit factas à flagris & spinis plagas; ita utique neque alij Martyres seruata gerent omnia eorum, quæ passi sunt, vestigia beato statui minus conuenientia. Pari pacto, neque damnati omnes defectus suos retinebunt, si quos retinebunt: sed eos duntaxat, qui poenam illorum exacerbabunt, non qui leuabunt. Mallent enim utique cæci esse, ne talia monstra cernerent, mallent surdi esse, ne conuitia sempiterna audirent; mallent gustu carere, ne fel draconum persentiscerent; mallent odoratu destitui, ne sulphur, & cadauerosum odorem execrandumque; narium pestem percipere cogentur: mallent & membris illis carere, quibus vstulati cruciantur. Cetera, quæ ad defor-

deformitatem spectant, credibile est, eos retenturos, non certum. Vnde & Poëtæ cecinerunt, varia apud inferos monstrata stabulari. Quòd si autem ne damnati quidem amplius erunt monstrosi, quid queruntur de eo, quod sunt ad tempus, corriget autem Resurrectio pro æternitate, quæ illis, si voluissent, iucunda fuisset?

§. V.

In Sanctis, servata substantia integritate, solum deformitatem perituram.

Certius est, nihil fore in beatis sedibus monstruosum. *Indecorum quippe aliquid ibi non erit; ait Hipponensis antistes, sed quid quid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit. Resurgent igitur sanctorum corpora, sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit: quæ non esset, si aliquid mali ibi esset; sicut neque in terris calamitatis poena esset, si mali nihil esset. Qua de causa ita, alio libro, disputans de capillis resectis, qui beato in numero, non in quantitate omnes reddentur, ne totus hirsutus monstro similis efficiatur, subiungit: *Neq;**

S. Augustin. in Enchirid. c. 90. & 91.

Idem lib. 22. de civ. cap. 19.

Qq s

peri

pori cuiq; periturum, quod naturaliter inerat;
 sed quod deforme natum fuerat; non utiq; ob
 aliud, nisi ut hinc quoq; ostenderetur, quam
 sit pœnalis conditio ista mortalium; sic esse re-
 diturum, ut seruata integritate substantiæ sola
 substantiæ deformitas pereat. Si enim statuam
 potest artifex homo, quam propter aliquam
 causam deformem fecerat, conflare & pulcher-
 rimam reddere; ita ut nihil inde substantiæ,
 sed sola deformitas pereat; ac si quid in illa fi-
 gura priore indecenter extabat, nec parilitati
 partium congruebat, non de toto, unde fecerat,
 amputare atque separare, sed ita conspergere
 uniuerso atq; miscere, ut nec fœditatem faciat,
 nec minuatur quantitatem; quid de omnipotente
 artifice sentiendum est? Ergone non poterit
 quasq; deformitates humanorū corporum non
 modo usitatas, verum etiam raras atque mon-
 strosas, quæ huic misera vite congruunt, abhor-
 rent autem ab illa felicitate sanctorum futu-
 ra, sic auferre ac perdere, ut quasq; earum
 faciunt, & si naturalia tamen indecora excre-
 menta substantiæ corporalis nulla eius diminu-
 tione tollantur? Ac per hoc non est macris
 pinguibusue metuendum, ne ibi etiam tales
 sint, quales, si possent, nec hic esse voluissent.
 Omnis enim corporis pulchritudo est partium
 congrua

congruentia, cum quadam coloris suauitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut idè quid offendit, quia prauum est; aut idè, quia parum; aut idè quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium; ubi & quæ praua sunt, corrigentur; & quod minus est, quam decet, unde Creator nouit, inde supplebitur: & quod plus est, quam decet, materia seruata integritate, detrahetur. Coloris porrò suauitas quanta erit, ubi iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui? Benè igitur sperent boni; bene sperent parui, quia nullus in cælo erit Ioannellus; benè sperent pallidi, & pallidæ, quia roseum colorem acquirant ibi, ubi omnia floreant. Benè sperent macilenti, quia ibi, non erunt extenuati. Benè pingues, quia ibi, ubi iusti fulgebunt sicut sol, (nam de his hîc agit S. Pater) nullus aquaticulus propenso sequipede extabit; pro flamma Auernali seruiet adeps impiorum.

§. VI.

Qui nunc gemino, aut semiferino, aliteruè monstruoso sunt corpore, siue boni, siue mali, quo modo sint resurrecturi?

Atq; vt curiosis omnino satisfiat, libet apponere, quæ D. Bonauentura, in eundè

D. Au-

S. Bonavent. l. 4. dist. 44.

D. Augustini locum scitè apposuit, vt, inter monstra, discrimen faceret: *In aliquibus, inquit, membra gemina sunt. Ea verò vel principalia sunt membra, vel minùs precipua. Si precipua membra gemina sunt, dua etiam ibi anima, atque ita duo corpora sciuntur resurgent. Sin bina, aut plura, quae tamen principatum in corpore non obtinent, vnum corpus est, & vnum resurget. In Hermaphroditis, quoniam utraq; pars par esse in vno non posset, eo sexu resurget, qui in eo dominatur. Monstrum verò aliquando homo, partim bestia: tum si principales partes hominis sunt, animamq; & vitam habuerunt, resuscitabuntur, vt homo; secus, si bestiam representet. Quid ergo vult conqueri homo monstruosus? aut enim est monstruosus ad salutem; & tum nihil eius resurrectioni obstabit monstruositas; sed erit ad breue tempus deformis, vt æternum sicut sol fulgeat: aut ita viuit, vt in ignem inextinguibilem sit proijciendus; & tum titioni nihil forma sua proderit; benè quadrabit deformitas longè maiore deformitate cooperienda, & aspicientibus alijs quoque tormentum allatura. Vt enim in celo, sensus oculorum iucundissimo Christi, Matris eius, & ceterorum*

rorum

rorum beatorum hominum aspectu mirifi-
cè delectabitur; ita impudici damnatorū
ac lascivi oculi, metuendis monstris intū-
endis, identidem terribilem in modum
cruciabuntur. Monstra autem erunt, si
non homines, saltem dæmones. Et dæmo-
nes quidem omnis generis formam expri-
ment, in varias se belluas transuertendo,
atque in eas præcipuè, quarum quisque
maximum sensurus est horrorem. Itaque
inter tigrides & leones, inter angues &
dracones æternū degent damnati. Qui
si non erunt partim nani, partim gigantes,
partim Æthiopes, partim gibbosi &c: ta-
men certè ipsi, heu, quibus oculis, qua
fronte, quanto oris hiatu, qua totius cor-
poris contorsione, fuligine, atrore, la-
mentabuntur! Quanquam mihi valde ve-
rosimile videtur, sicut S. Damasceno resti-
tutæ manus purpurei filii instar cicatrix
mansit in hac vita, & sicut ipsi Christo re-
diuino quinq; velut carbunculi vulnerum
quendam decorem conciliarunt; ita in-
diuersum damnatis quasdam notas macu-
lasq; huius vitæ, adhæsuras, eosq; etiam
vitiorum suorum fructus, inter reliqua
spectra, in corpore quoque seruatu-
ros.

Itaque

2. Reg. 4.
4.

Itaque in duellis quidem interemti suarum
plagarum signa; lilijs iniusti, suæ castitatis
stigmata; lue Gallica exesi, carcinomata;
vino & comotationibus incensi, cupreum
Venerisq; floribus fœdatum vultum; alij
alia retinebunt. In celo autem nullus pa-
rens de filio monstroso erubescet; nulla
mater de filia Æthiopissa accusabitur; nul-
lus Miphiboseth claudicabit. Omnia erunt
pulchra; omnes formosi; omnes perfecti:
nullus infans, nullus sapientia puer, nul-
lus canâ ætate, sed reuerentia & authori-
tate senex; omnes in matura, florida, &
perfecta ætate Christo pares erunt.

sup. libro 2. §. VII.

*Quo modo Sancti, in mensuram ætatis pleni-
tudinis Christi, sint resurrecturi?*

Ephes. 4.
13.

Atque hoc est, quod Apostolus Ephesios
monet, & cum illis nos omnes, qui
fortasse aliquo corporis defectu labora-
mus, ne deiciamur, sed vt cum patientia
expectemus, *donec occurramus omnes in uni-
tatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum
perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis
Christi.* Vbi tria docentur, staturæ scilicet,
membrorum, & ætatis perfectio. Hac
enim omnia ad *virum perfectum* pertinent.

Estq;

Estque idem *etas plenitudinis*, quod *etas plena*, *adulta*, *virilis*. Quamvis autem *etas* hinc propriè accipi possit, metonymicè tamen potiùs ab authoribus accipi solet, pro *vigore & statura*, quam *etas* secum affert, & quæ in virili *etate* esse consuevit. Igitur, Sancti non solum in eo *vigore*, verum etiam in ea *statura* resurgent, quam fert illud tempus, quod habuit Christus in virili atq; *adulta etate*, cum 34. esset annorù. Cuius duplex potest esse sensus. Primus, nos resurrecturos, in *mensura*, *magnitudine*, & *statura* nostri corporis *plena ac perfecta*; sicut habuit *staturam suam plenam & perfectam* Christus, in *etate plena & perfecta*, seu, quemadmodum Christus anno *etatis suæ* 34. inchoato iustam habuit *humani corporis staturam*, ita & in *resurrectione* homines, etiam qui hinc in *etate infantili*, aut *puerili*, aut *senili* mortui sunt, iustam corporis sui *staturam*, habituros, adeoq; omnes nos ea *magnitudine & statura* in *caelo* futuros, quam habuimus, vel habuifsemus (si *natura vegeta* fuisset, vel non *impedita*, aut *morte præuenta*) in *etate virili*, seu anno 34. quæ fuit *etas Christi*.

Alter

Vide S.
August.
lib. 22. de
ciuit. c. 15,
& seqq.

mod. 2
34. p. 89
4. 15. 2. 6

Alter sensus esse potest, quòd resurrecturi
 simus non tantùm eâ staturâ, & magnitu-
 dine, quam nos habuimus, vel habuisse-
 mus in virili ætate, sed etiam quòd ipsi
 Christo, in corporis magnitudine & statu-
 ra æquales simus futuri. Vterque sensus
 sua probabilitate non caret. Prior commu-
 nior, & S. Thomæ est, posterior inde fulci-
 tur, quia etsi inæqualitas staturarum inter
 beatos admitti possit; tamen haut credibi-
 le est, aliquos fore in celo statura vel Pyg-
 mæos, vel Gigantes, vt etiam S. Thomas
 admittit; qui tamen anno 34. ætatis suæ
 in hac vita vel Pygmæi, vel Gigantes fue-
 runt, & quidem ex natura indiuidui. Si
 ergo etiam tunc quãtitas naturalis vniuf-
 cuiusq; indiuidui naturam consequeretur;
 necesse esset alios nanos, alios Polyphemos
 futuros. Neq; pertinet ad eundem nume-
 ro hominem, vt tunc habeat eandem mag-
 nitudinis mensuram, quam in hac vita ha-
 buisset, si natura nō errasset: alioqui, qui
 hîc infantes fuissent, & ibi viri erunt, non
 erunt aïdem numero; sicut nec Adamus &
 primi æui homines, qui vtique ex natura
 indiuidui maiores fuerunt, quàm postea
 mundo decrecente, & non ex errore na-
 turæ.

S. Thom.
 p. 3. q. 46.
 a. 9. ad 4.

turæ. Atque hæc est vna è tribus caussis, ob quas D. Thomas docet, Christum, in iuuenili ætate, pati voluisse; ita enim non solum suam dilectionem magis declarauit, dum vitam suam pro nobis dedit, quando erat in perfectissimo statu, neque conueniebat, ut in eo appareret nature diminutio, sicut nec morbus, verum etiam, in iuuenili ætate moriens & resurgens, futuram resurgentium qualitatem in se ipso præmonstrabat. Hæc de staturæ atque ætatis vegetæ integritate, per coniecturam dicta sunt; quæ ut fidem etiam ab exemplo huius vitæ acciperent, de sene Indo Orientali ita scribit Maffei:

Quidam ex Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætozem adijt, natus, ut ferebatur, annos trecentos triginta quinq. Neque mendacij suspicio suberat. Nam & seniores, qui ibi erant, se idem de hoc eodem grandæuo aiebant à maioribus accepisse. Et ipse filium habebat nonagenarium, & cum litterã nosset nullam, quæ referebantur ab eo de veterum gestis rebus, ad fidem annalium optimè congruebant. Huic aliquoties iam deciderunt dentes, alijs continuò subnascentibus; & barba, ubi prorsus incanuisset, in atrum denuo colorem, idq. paulatim semetipsa vertebat.

Rr

Ante

Ioan. Petrus Maffei l. 9. hist. Indic.

Ante centesimum annum idola coluerat; inde
aque miserabili errore, ad nefariam Macho-
metis transierat sectam. Is propter miraculi
nouitate, Sultani stipendijs ali consuetus idem
vita subsidium a Nonnio petijt. Nonnius haud
grauate assignauit. Talem natura dedit, &
diuina potentia non posset? Immo potest.

Psal. 102. Qua spe fretus ille dixit: Renouabitur ve
aquila inuentus tua. In fabulis

Ouid. l. 7. ----- *stricto Medea recludit*
Metam. Ense senis ingulum, veteremq; exire cruo-
rem

Passa replet succis. Quos postquam combi-
bit Aeson,

Aut ore exceptos, aut vulnere: barba co-
maq;

Canitie posita, nigrum rapuere colorem.

Pulsa fugit macies, abeunt pallorq; situsq;

Adiectoq; cauae suppleantur corpore rugae,

Membraq; luxuriant. Aeson miratur, &
olim

Ante quater denos hunc se reminiscitur an-
nos.

Disimilemq; animum subiit, etate relicta.
Sic oliuæ ramum arentem refluoruisse, sic
arietem rediisse ad vitam, & vegetas vires,
fabulae optauerunt potius, quam testatum
fecerunt

fecerunt. Fides autem Christiana, & optat, & sperat, & testatum facit, eos qui in Domino moriuntur, ad vitam resuscitados, *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi*, in viridem iuventam, non aliqua herbarum aut naturæ, sed Numinis potentia redituros; vt proinde neque de annis nimis multis, aut nimis paucis con-
queri possint; neque de corporis statura, aut ipsa etiam morte subeunda murmura-
re; cum non ignorent, se tanto scœnore at-
que lucro immutandos.

§. VIII.

Omnia membra, & naturæ debitos humores resurgentibus esse reddenda.

Quocirca membrorum quoque integri-
tas & pulchritudo non deerit Sanctis; etsi
in damnatis probabiliter, seruata naturæ
veritate & integritate, omnia deformia-
erunt, Apostolo dicente: *Omnes quidem* 1. Cor. 15.
resurgemus, sed non omnes immutabimur, per 51.
gloriam scilicet. Ex quo, Adamo, & Euzæ, Gen. 3.
& omnibus in peccato originali natis di- 19.
ctum est: *Puluis es, & in puluerem reuerte-
ris,* omnes in cinerem soluimur. Etsi enim
Christi resurrectio est exemplar nostræ re-
surrectionis, si terminum *ad quem aspiciamus;*

Pfal. 15.
Act. 2.S. Thom.
in suppl.
q. 78, a. 2.Deut. 32.
Aristot.
lib. 3. de
animal.
S. Thom.
in suppl.
q. 80, a. 1.

mus; non est tamen exemplar, secundum terminum à quo. Vnde, licet *caro eius non viderit corruptionem*, reliquorum tamen hominum (*nisi aliquibus ex speciali privilegio gratia, sit indultum contrarium*, ait S. Thomas) corpora dissoluuntur, ut possint reformari; atque in cinerem rediguntur, ut denuò integrentur. Nihil igitur refert, vnde restaurentur; ex monstris, aut alium defectum habentibus, aut etiam ex ipso puluere, ad quem redacta fuerunt; satis esse debet, si in resurrectione omnia accipiant, quæ ad eorum integritatem perfectionemque pertinuerunt. Omnia autem membra iusti accipient, quia Dei perfecta sunt opera, & inter opera Dei eminet resurrectio. Ad perfectionem autem hominis omnia membra pertinere, inde docetur, quia, iuxta Philosophum, *comparatio animæ ad corpus est, sicut comparatio artis ad artificiatum: quidquid autem explicitè in artificiato ostenditur*, ait S. Thomas, *hoc totum implicitè, & originaliter in ipsa arte continetur: & similiter, quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter, & quodammodo implicitè in anima continetur. Sicut ergo artis opus non esset perfectum, si artificiato aliquid deesset*

deesset eorum, quæ ars continet; ita nec homo
posset esse perfectus, nisi totum, quod in anima
implicitè continetur, exterius in corpore expli-
cetur: nec etiam corpus animæ ad plenum
proportionaliter responderet. Hæc S. Tho-
mas, qui ibidem addit, intestina quædam
membra sanctorum nec vacua fore, neque
immunditias contentura, sed nobiles
humoribus implenda. Quod in damnatis
non fiet. Qui autem humores in resurgen- *Ibid. a. 3.*
tibus sint extituri, ex eo pendet decidere,
quinam spectent ad naturæ integritatem,
de quibus idem Doctor, & schola Philoso-
phorum.

§. IX.

*Vngues quoque, & capillos resurgentibus esse
reddendos.*

Quin & capilli, & vngues reddentur
ijs, qui in hac vita calui fuerunt, aut ma-
trum curiosarum vitio, vel sæuitia ty-
rannorum exungulati. Quia capilli quo-
que & vngues dati sunt in ornamentum
hominis. Cùm ergo corpora hominum, præ- *Ibid. a. 2.*
cipuè electorum (ait idem Angelicus Do-
ctor, quia non ita credibile est, damnan-
dos cum ornamentis suis ad identitatem
& veritatem non necessarijs resurrectu-
ros)

ros) debeant resurgere cum omni ornatu; consequens est, eos etiam cum capillis & unguibus resurrecturos. Adde quòd capilli & ungues, licet ex abundantia cibi generentur, non solum ornatum habeant, in hac vita, sed etiam sua non careant utilitate; atque idcirco ad secundariam pertineant corporis perfectionem; sicut folia arborum, quibus fructus cooperiuntur, pertinent ad secundariam arborum perfectionem, & venustatem. Et quoniam temperamentum magis ad naturam hominis pertinet, quàm eadem mensura quantitatis, quæ saltem in infantibus non manebit, ex temperamento autem oritur color capillorum, conficitur tunc, capillos beatorum eodem colore fore conspicuos, quo hîc 34. anno aut fuerunt, aut futuri fuissent, si vita esset eò usque porrecta.

§. X.

Qua materia resurgentibus, & an costa sit reddenda Adamo?

Quoniam autem infantes, pueros, & Pygmæos in statura perfecta, uti & Gigantes ea magnitudine, qua ferè Christus fuit, diximus resurrecturos; necesse est & Gigantibus aliquid de materia demi, & infantibus

fantibus ac Pumilis aliquid addi, quod identitati ac veritati eiusdem hominis non officit; sicut neque in ijs, qui ab alijs hominibus deuorati sunt; quorū proinde materia à pluribus animabus fuit informata, & iam ad hunc, iam ad illum hominem pertinebat. Nihil inquam, officit, quia, præter alias responsiones à S. Thoma assignatas; sufficit, tantum materiæ tunc diuina virtute aliunde suppleri, quantum opus est ad perfectionem quantitatis. *Nec per hoc aliquid præiudicatur identitati in numero, sicut nec præiudicatur, per hoc, quòd partes secundum materiã fluunt, & refluant,* ait S. Doctor. In Anthropophagis autem carnes comestæ non sunt de veritate humanæ naturæ in comedente, sed in eo, cuius carnes comeduntur. Quare surgent in primo, non in secundo. Huic autem illarum aliquid restituetur carni, quæ aliquando defluerunt. Quandoquidem igitur ea, quæ defuerunt mortalibus in hac vita, reddentur immortalibus in altera vita, quid fiet cum Adamo primo omnium hominum parente, an etiam illi reddetur costa eius, ex qua Eua formata est? Nam

S. Thomæ
in supl.
q. 80. ad 3^o

Gen. 2, 23.

Rr 4

porera

porem in Adam: cumq; obdormisset, tulit unā de costis eius, & replevit carnem pro ea. Et edificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex osibus meis, & caro de carne mea: Hac vocabitur Virago, quoniam de viro sum-

modi
quod
et b. 2. p.

Ita respō-
det S.
Thom.
loc. cit.
ad 2.

ta est. Si reddetur igitur ei costa, quæ ab illo ablata est, ubi manebit Eua? si non reddetur, an Adam in æternum mancus & monstrum erit? an aliquid illi deerit, quod fuit de veritate naturæ humanæ in ipso? Aio, costam illam non in Adamo, sed in Eua resurrecturā, quæ de illa formata est; neque tamen Adamum fore mancum, aut imperfectum; cum costa illa, in Adamo, non fuerit de perfectione individui, sed ad multiplicationem speciei sit ordinata. Quare costa illa non resuscitabitur in Adamo, sed in Eua; quemadmodum & semen non in generante, sed in genito resurget. Ex quo perspicitur, Adamum neque, antè quàm costa illa ab eo auferretur, neque post illam ablatam, monstrum fuisse; quia neque antè aliquid in illo redundavit, neque postea aliquid defecit: cum costa non ad individui perfectionem, sed ad multiplicationem speciei illi sit data, sicut

sicut & dari solet semen, cuius neque præsentia, neque absentia ex homine facit monstrum; pertinet enim, non ad indiuidui, sed ad speciei conseruandæ naturam.

§. XI.

Medicina monstrorum.

Desinat ergo sollicitudo vel ægrorum, vel quocunq; modo monstrorum. Sicut franguntur vasa, vt in melius reformentur; ita Deus iustorum corpora subinde, in terris, curuat, vt erigat in cælo. Quòd si enim tam benignus est, vt etiam in hac vita naturæ defectus compenset, quid non sperandum est, cum in altera vita amicis suis facturum? Boni *in carne sua videbunt*

Iob. 19.

Deum saluatorẽ suum, sed in carne integra

26.

atque perfecta; quidquid sit de malis, pro-

pter quos Apostolus ait: *omnes quidem re-*

1. Cor. 15.

surgemus, sed non omnes immutabimur. Qui,

31.

si deformes maneant, meruerunt eam de-

formitatem. Sancti autem sine metu esse

debent; quia eorum corpora certò in glo-

riam mutabuntur. Vidit iam dudum hanc

quorundam sollicitudinem Tertullianus,

apud quem ista leguntur. *Hinc iam illa*

Tertull.

vulgaris incredulitatis argutia est: si, inqui-

libr. de

unt, ipsa eademq; substantia reuocatur cum

Resur-

sua

rect. c. 57.

R r 5

sua

sua forma, lineâ, qualitate, ergo & cum in-
 signibus suis reliquis: itaq; & caci & claudi,
 & paralytici, & ut quis insignis excesserit ita
 & reuertetur. Quid nunc? etsi ita dedigna-
 ris tantam gratiam qualiscunq; à Deo conse-
 qui. Non enim & nunc anima solius admit-
 tens salutem, dimidiatis hominibus eandem
 adscribit? Quid est, credere resurrectionem,
 nisi integram credere? Si enim caro de disso-
 lutione reparabitur, multò magis de vexatio-
 ne renocabitur. Minoribus maiora præscri-
 bunt. Cuiuscunq; membri detruncatio, vel ob-
 tusio, nonne mors membri est? si uniuersalis
 mors resurrectione rescinditur, quid portiona-
 lis? si demutamur in gloriam, quantò magis
 in incolumitatem? vitiatio corporum accidens
 res est, integritas propria est. In hanc nascimur,
 etiamsi in utero vitiemur, iam hominis est
 passio. Prius est genus, quàm casus. Quomo-
 do vita confertur à Deo, ita & refertur. Qua-
 les eam accipimus, tales & recipimus. Natu-
 ra, non iniuria reddimur: quod nascimur, non
 quod ledimur, renouiscimus. Si non integros
 Deus suscitât, non suscitât mortuos. Quis enim
 mortuus integer, etsi integer moritur? Quis
 incolumis, qui exanimis? Quod corpus illa sum,
 quum interemptum, quum frigidum, quum
 expalli-

expallidum, quum edurum, quum cadauer?
quando magis homo debilis, nisi quum non totus?
quando magis paralyticus, nisi quum immobi-
lis? Ita nihil aliud est, mortuum resuscitari,
quam integrum fieri, ne ex ea parte mortuus
adhuc sit, ex qua non resurrexerit. Idoneus
Deus reficere, quod fecit. Hanc suam & po-
testatem & liberalitatem satis iam in Christo
spondit, immo & ostendit, non tantum resus-
citatore carnis, verum etiam redintegrato-
rem. Atq; adeo & Apostolus: Et mortui, in-
quit, resurgent incorrupti. Quomodo nisi in-
tegrum, qui retro corrupti, tam vitio valetudi-
nis, quam ex senio sepultura. Nam & supra
utrumq; proponens, oportere & corruptivum
istud induere incorruptelam, & mortale istud
immortalitatem, non iteravit sententiam, sed
differentiam demandavit. Immortalitatem
enim ad rescissionem mortis, incorruptelam
ad obliationem corruptela diuidendo, alte-
ram ad redintegrationem temperavit. Puto
autem & Thessalonicensibus omnis substantia
integritatem repromisit. Itaq; nec in posterum
timebuntur corporum labe. Nihil poterit
amittere integritas, vel conseruata, vel resti-
tuta, ex quo illi etiam, si quid amiserat reddi-
tur. Immo & quod non amiserunt, acci-
pient

pient

piet beati, si fortè eos natura destituit,
cùm nascerentur.

§. XII.

*Qui, & cur dixerint, feminas non in suo sexu
resurrecturas?*

Verùm, quia S. Paulus ait, nos occur-
Ephes. 4. *suros in virum perfectum*, multi fuerunt,
13. qui existimarent, feminas non in proprio
sexu, sed in virili surrecturas, & in viros
transmutatas, teste S. Augustino. Habet
S. Aug. hæc sententia, vt apparet, magnos & eru-
1. 22. ciu. ditos authores. Quippe videtur esse S.
cap. 17. Hieronymi, S. Basilij, S. Hilarij in illud:
seqq. *In resurrectione neq; nubent, neq; nubentur.*
S. Hiero- S. Athanasij, aliorumque, qui arbitrantur,
nym. & S. Athanasij, aliorumque, qui arbitrantur,
Basil in S. Athanasij, aliorumque, qui arbitrantur,
Psal. 114. in resurrectione non fore sexuum diuersi-
S. Hilar. in Matth. 22. tatem. Quin & inter Scholasticos Scotus
S. Atha- manifestè tradit, omnes feminas, excepta
nas. serm. vna Dei Matre Virgine, in sexu virili resur-
3. cont. recturos. Tractat hanc quæstionem etiam
Arrian. D. Thomas. Neque desunt rationes. Nam,
sub fin. præter Apostolum dicentem, nos *in per-*
Scot. in *fectum virum*, non autem in perfectam
2. dist. 20; feminam, occursuros; in futuro sæculo
S. Thom. in suppl. omnis prælatio cessabit; non cessaret au-
q. 81. art. 3. tem prælatio, si muliebris sexus non cessa-
Gen. 3. 16. ret, cùm mulieri dictum sit: *sub viri pote-*
state,

state eris, & ipse dominabitur tui. Accedit, quòd sexus fæmineus sit accidens, & quædam hominis imperfectio, in resurrectione verò omnis imperfectio tolletur à iustis. Ac fanè, vt Aristoteles docet, femina est *mas occasionatus*, atque ex defectu virtutis formatiuæ in femine (quæ non potest perducere materiam concepti ad virilem perfectionem) præter intentionem naturæ inductus. Si ergo in resurrectione saluandorum omnis error tolletur, videtur concedendum, sexum muliebrem non resurrecturum. Nam si natura, quæ perfectum intendit, cum marem, quasi hominem perfectum vellet producere, feminam pro mare producens errauit, corrigendus erit utique error ille in beatis, ne saltem ex hac parte miseri sint. Denique ad quid erit diuersitas sexus, si *in resurrectione neq; nubent, neq; nubentur?* Hæc pro ista sententia afferri possunt.

Aristot.
lib. 2. de
Generat.
animal.
cap. 3.

§. XIII.

Femina cur in suo sexu sint resurrectura?

Sed luculentus, & in sexum femineum valde iniurius est error, dicere, vel credere, feminas in suo sexu non resurrecturas.

Cuius

S. Aug.
lib. 22. de
ciuit. c. 17.
& seqq.
Tertull.
lib. de re-
surrect.
cap. 60.
S. Hiero-
nym. ep.
61. ad
Pamma-
chium.
S. Thom.
in suppl. q.
81. a. 3.
Scholast.
in 4. d. 44.
Gen. 1. 27.

Cuius è diametro contrarium, contra erro-
res Ioannis Hierosolymitani, expressè
Sanctus Augustinus, Tertullianus, S. Hie-
ronymus, D. Thomas, & alij scholastici
communiter tradiderunt. Augustini ver-
ba sunt: *Meliùs sapere videntur, qui utrumq;
sexum resurrecturum esse non dubitant.* Vtiq;
enim Deus, quod in homine fecit, cum
primò eum conderet, id in resurrectione
quoque reparabit. Quia igitur *masculum
& feminam creauit eos*, initio mundi; in re-
surrectione quoque masculum & feminam
reproducet. Adde, quòd tunc, vt idem
numero corpus resurgat, necesse sit, præci-
pua saltem accidentia, & easdem conditio-
nes indiuiduantes restaurari, inter quas
non minima est, sexus certus, & determi-
natus. Quare diuersis, diuersus sua natura
debetur sexus. Quæ ipsa diuersitas ad spe-
ciei perfectionem pertinet. Ita enim il-
lius diuersi gradus per diuersitatem sexus
implentur. Quo semel statuto, facile est,
ad argumenta obiecta respondere.

§. XIV.

*Solutio argumentorum contra sexum femi-
neum obiectorum.*

I. Igitur cum Apostolus ait, nos in
perfe.

perfectum virum occursuros, id non ob sexum ait virilem, sed ob animi virtutem, quæ tam in mulieribus; quàm in viris tunc erit. Quare per virum, hominem intellexit, sicut David, quando dixit: *Beatus* Psal. 1. 1. *vir, qui &c.* vbi vtiq; feminas non exclusit. 2. Hieronymus, Basilius, Hilarius, Athanasius alijsq; Patres, magni sanè sunt authores, cum negant, in cælo fore sexuû diuersitatem, tantum negant eam diuersitatem fore, quoad usum, non autem quoad substantiam. Quia in resurrectione neq; nubent, neque nubentur. S. Thomas clarè Matth. 22 30. est pro nobis. Scotus, si in sexu femineo agnoscit imperfectionem, atq; idcirco reliquas feminas putat in viros commutandas; cur eam imperfectionem soli Deiparæ attribuit? quæ, vt in hac vita virtute omnium perfectissima fuit feminarum, cur tunc sola illis cedit sexus imperfectione? Alij aduersarij, qui neque hanc Virginem excipiunt, quæ probabilissimè cum corpore in cælum est assumpta, non debent eam inuocantes dicere, *Sancta Maria*, sed, *Sancte Maria, ora pro nobis*, absurdum est siquidem, virum feminino genere salutare. Est igitur, & manet, manebitq; Maria,

ria,

ria, & femina, & Virgo, & Dei Mater. Certè multis nō solūm Dei Mater, verūm etiā alia sancta, vt S. Agatha, S. Agnes, & alia Diuæ, non mutato, sed suo sexu, apparuerunt. 3. In hac vita vir dominatur mulieri, sed propter robur corporis, & vigorem animi, atque ob imbecillitatem naturæ, qua femina potestati virorum subiunguntur. In resurrectione autem, ob hæc, non erit differentia secundū sexuum diuersitatem; sed secundū diuersitatem meritorum. 4. Ad potissimum fundamentum Scoti respondetur, sexum femineum nequaquā esse imperfectionem; sed potius perfectionem, licet minorem, quā sit virilis perfectio. Quare etiam neque vitium est, sed natura, & conditio naturalis: quippe cū fæmina necessaria sit ad propagationem sobolis, & ad humanæ speciei conseruationem. Profectò si sexus muliebris esset aut vitium, aut imperfectio naturæ, in Paradiso, & statu innocentia non extitisset; aut Deus vitij imperfectionisq; author fuisset, quando ex viro feminam, ex Adamo Euam formauit. Quare dormitauit Aristoteles, quando scripsit, feminā esse marem occasionatum: siquidem Deus
& na.

& natura per se intendit tunc feminam, producere, vt scilicet per marem & mulierem genus humanū propagaretur. Quamquam dictum Aristotelis, ita possit exponi, quòd idcirco feminam dixerit esse *virum occasionatum*, quia vir perfectior est, quā femina; natura autem in genere intendit potiùs producere id quod perfectius est. In genere, inquam; in specie enim atque indiuiduo, haud rarò intendit producere, id quod minùs est perfectum; intendit enim infantem, non virum gignere ex matre; & ex tali femine non virum, sed feminam producere. Quoniam igitur femina non est error naturæ, nulla opus erit, in hoc sexu, resurrectionis correctione. 5. In qua resurrectione *neque nubent sanè, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in celo*; quo loco non negatur, feminas in celo futuras, sed nuptiæ solæ tolluntur, vsusq; nuptiarum; quas homines carni dediti optant, Turcæ promittunt, status æternitatis repudiat, non patitur perfectio purissimæ castitatis. Cessabit ergo generatio, quia nulla ibi erit successio; & vbi nemo morietur, nemo orietur; itaque *sunt sicut Angeli Dei*, non solùm propagatione

8f

non

S. Thom.
in supl. q.
81 a. 3. in
corp.

non indigentes, sed etiam ita puri, ita casti, ut nulla ibi futura sit *confusio mutua visionis*; quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus *confusio* causatur. Cuius rei figura fuit status innocentiae in Paradiso. Erant enim uterque nudus, Adam scilicet, & uxor eius: & non erubescabant. Quare cessabit ibi usus nuptiarum, non cessabit sexus; quod eo ipso loco insinuatur, quae aduersa sententia nobis opponit: ait namque: *neque nubent* scilicet feminae, *neque nubentur* scilicet viri; quae duo utique ponit Seruator ad significandam sexuum diuersitatem.

§. XV.

Ad quid sexuum & membrorum diuersitas sit resurrectura, & in celo futura?

Luc. 20.
34.

Ad quid igitur erit sexuum in celo diuersitas, si *neque nubere, neque nubi*, & ut S. Lucas subiicit: *neque ultra mori poterunt, & sunt filij Dei, cum sint filij resurrectionis?* Dixi iam supra, ad eundem numero hominem pertinere easdem conditiones indiuiduantes. Et tunc laus erit unicuique à Deo. quàm absone diceretur, *Hic vir fuit Mater Dei; Hic Monica fuit mater Augustini; Hic mas fuit Machabaorum, aut filiorum*
Zebedaei

Zebedæi mater: Hic vir Thecla, inter feminas protomartyr fuit, quia noluit nubere? Hæc atque alia complura absurda sequerentur, si feminæ in suo sexu, quasi in naturali conditione ac perfectione sua, non resurgerent. Eleganter etiam atque eruditè Tertullianus contra hanc obiectionem, in hunc modum, differit: Ecce autem, ut ad huc controuersiam exaggerent, carni maxime eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut & ipsa dicentes permanere debere in suis operibus, & fructibus, ut eidem corpulentia adscripta, aut quia constat discessura esse officia membrorum, corpulentiam quoque eradant, cuius scilicet perseverantia credenda non sit, utique sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. Quo enim, inquiunt, spelunca hæc oris, & dentium statio, & gula lapsus, & compitum stomachi, & alui gurges, & intestinorum perplexa proceritas, cum esui & potui locus non erit? Quò huiusmodi membra admittunt, subiungunt, deuoluunt, diuidunt, digerunt, egerunt? Quò manus ipsæ & pedes, & operarij quiq; artus, cum victus etiam cura cessabit? Quò renes conscij seminum, & reliqua genitalia utriusq; sexus, & conceptuum stabula, &

*Sf 2.**uberum*

Tertull.
lib. de re-
surrect.
c. 69.

628 Cap. XVII. *Monstra in celo nulla,*
uberum fontes, decessuro concubitu, fetu &
educatu? Postremo quò totum corpus, totum
scilicet vacaturum? Adhac ergo prastruxi-
mus non oportere committi futurorum atque
praesentium dispositiones intercessura tunc de-
mutatione, & nunc superstruimus officia ista
membrorum necessitatibus vita huius eò usque
consistere, donec & ipsa vita transferatur à
temporalitate in aeternitatem, sicut animale
corpus in spirituale, dum mortale istud induet
immortalitatem, & corruptiuum istud incor-
ruptelam, & ipsa autem liberata tunc vita à
necessitate, liberabuntur & membra ab offi-
cijs, nec ideò non erunt necessaria. Licet enim
officijs liberentur, sed iudicijs retinentur, ut
quis referat per corpus, prout gessit. Saluum
enim hominem tribunal Dei exigit. Saluum
verò sine membris non licet esse, ex quorum-
non officijs, sed substantijs constat, nisi forte &
navim sine carina, sine prorà, sine puppi, sine
compaginis totius incolumitate saluam assene-
rabis, & tamen navem procellà dissipatam, vel
carie dissolutam, redactis, & recuratis omni-
bus membris eandem saepe conspeximus, etiam
titulo restitutionis gloriantem de DEI artifi-
cio, & arbitrio, & jure torquemur? Porro, si
diues Dominus & liberalis adfectui, aut gloria
sua

*sua prestans, solam navis restitutionem, haec-
nus eam voluerit operari, idcirco tu negabis
necessariam illi compaginem pristinam, ut ex-
inde jam vacaturam, cum soli saluti navis sine
operatione conveniat? Igitur hoc tantumodo
discere sufficit, an Dominus hominem saluti
destinando carnem destinavit, an eandem velit
denuo esse, quam non debebis ex futura mem-
brorum vacatione praescribere, denuo esse non
posse? Licet enim esse quid denuo, & nihilomi-
nus vacare; nec potest autem dici vacare, si
non sit. At enim si sit, poterit & non vacare.
Nihil enim apud Deum vacabit. Sed accipi-
sti homo os ad vorandum atq; potandum, cur
non potius ad eloquendum, ut à ceteris ani-
malibus distes? cur non potius ad depraedican-
dum Deum? ut etiam hominibus antistes. De-
nique Adam ante nomina animalibus enuntia-
vit, quam de arbore decerpfit, ante etiam pro-
phetavit, quam voravit. Sed accepisti dentes
ad macellum coornandum, cur non potius ad
omnem hiatum & rictum tuum coronandum?
cur non potius ad pulsus lingua temperandos,
ad vocis articulos offensione signandos? Deni-
que & edentulos audi, & vide, ut honori oris
& organum dentium queras. Forata sunt in-
ferna in viro, & in feminâ, nimirum quâ li-*

630 Cap. XVII. *Monstra in celo nulla,*
bidines fluitent, cur non magis quàm potuum de-
fricta colentur? Est adhuc in feminis intus,
quàm semina congerantur, an quo sanguinis one-
ra secedant, quem pigrior sexus discutere non
sufficit? Dicenda enim & hæc quatenus que
volunt, & qualiter volunt, & quorum volunt
officia membrorum ludibriosè de industria suf-
fundende resurrectioni oblatrant, non recogi-
tantes, ipsas priùs causas necessitatis tunc va-
caturas, cibi famem, & potus sitim, & concu-
bitus genituram, & operationis victum. Sub-
lata enim morte neque victus fulcimenta ad
praesidia vitæ, neque generis supparatura gra-
uis erit membris. Caterùm & hodie vacare
intestinis & pudendis licebit. *Quadraginta*
diebus Moyses & Helias ieiunio functi, solo Deo
alebantur. Iam tunc enim dedicabatur: Non
in pane vivit homo, sed in verbo DEI. Ecce
virtutis futura lineamenta. Nos quoque ut
possumus à cibis excusamus, etiam sexum à
congregatione subducimus. Quot spadones vo-
luntarij, quot virgines Christo maritata? quot
steriles utriusq; nature infructuosis genitali-
bus structi? Si & hic iam vacare est, & offi-
cia, & emolumenta membrorum temporali
vacatione, ut temporali dispositione, nec ho-
mo tamen minùs saluus est, proinde homine sal-

no, & quidem magis tunc in aeterna dispositione, magis non desiderabimus, quae iam hic non desiderare consueuimus.

§. XVI.

An, & modo resurrecturi sint, qui ante moriuntur, quam nascantur?

Feminae igitur resurgent, resurgent & viri, ut diuinae sapientiae opificium etiam in sexu laudetur. Et resurgent omnes iusti in sua perfectione, omnibusque membrorum naturae debitae praediti: quamuis in hac vita illis, vel per naturae errorem, vel per tyrannorum crudelitatem, vel per alium casum fuerint destituti. Quin & illi resurgent, qui nunquam fuerunt nati, sed in materno utero mortui, & abortiui vel eiectioni, vel exsecti sunt. Si enim semel vixerunt, anima eorum interire non poterit; neque aeternum sine corpore manebit. Enimvero illi infantes, qui exserta aliqua corporis parte baptismo tincti, postea ante, quam plenè in lucem ederentur, defuncti sunt, etiam ad gloriam, & ad mensuram aetatis plenitudinis Christi resurgent. Sicut & multo magis infantes, qui postquam nati & baptizati vitam amiserunt. Illi enim non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua

S. Augustin. lib. 22. ciuit. cap. 13.

Idem ib. c. 14.

Sf +

te, qua

te, qua mortui. Sed quod eistardius accessu-
rum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro
atque celerrimo recepturi. In sententia quip-
pe Domini, ubi ait: Capillus capitis vestri non
peribit: dictum est, non defuturum esse, quod
fuit: non autem negatum est, affuturum esse,
quod defuit. Defuit autem infanti mortuo
perfecta quantitas sui corporis: perfecto quip-
pe infanti, deest utique perfectio magnitudi-
nis corporalis: quæ cum accesserit, iam statura
longior non esse possit. Hæc Augustinus, qui
alio loco ita concludit. Resurgent itaque
omnes tam magni corpore, quam vel erant, vel
futuri erant in iuuenili etate: quamuis nihil
oberit, etiamsi erit infantilis vel senilis corpo-
ris forma: ubi nec mentis, nec ipsius corpo-
ris vlla manebit infirmitas. Unde etiam si quis
in eo corporis modo, in quo defunctus est, re-
surrecturum unumquemque contendit, non est
cum illo laboriosa contradictione pugnandum.
Et infra: Si contenditur, in ea quemque statu-
ra corporis resurrecturum esse, in qua defun-
ctus est, non pugnaciter resistendum est: tan-
tùm absit omnis deformitas, omnis infirmitas,
omnis tarditas, omnisque corruptio: & si quid
aliud illud non decet regnum, in quo resur-
rectionis & promissionis filij aequales erunt an-
gelis

Idem
eod. lib.
c. 16.

Lib. cit.
cap. 20.

gelis DEI: si non corpore, non atate, certè felicitate.

§. XVI.

Epilogus huius, de monstris & monstrosis, tractatus, ostendens, non esse in his causam querelarum; sed occasionem diuinæ providentiæ & bonitatis admiranda.

Quæ cum ita sint, quis conqueri iure potest, naturam secum nimis illiberaliter egisse, quòd vel deformem genuerit, vel mancum, vel alio defectu monstruosum? Respiciat ad primam hominis originem, quàm illa sine nàuo, sine vitio, quàm perfecta fuit? Reuocet in mentem primi parentis præuaricationem, nonne in eo, tanquam in capite, omnium mortalium progenies fuit damnata? Quid habet, vt ploret, si ei natura formæ gratiam negavit; quando peccatum genitoris ei gratiam diuinam profligavit? Beneficium accipit, qui clementer plectitur, meritis grauiora. Quid quòd plurimis sua monstrositas prodest? Deformes sunt? non habent corporis pulchritudinem, habent autem utilitatem. Sic insidijs carent; sic minùs periclitantur; sic non sunt illecebrosi; sic

Sf 5

faces

faces extinguunt; sic incendijs obfistunt, & animorum, & Tartarorum. Sic superbiam subigunt; sic se ipsos & terrena omnia facilius despiciunt; sic in terris meliora quærunt, in celo reperiunt pulchriora. Non odit pater filium, cui canem negat, equum donat. Multis Deus non vult dare, quod morbus tollit, senectus perdit, mors funditus euertit; & donat aliquid, in quod neque morbus, neque anni, neque ipsa Libitina habet potestatem. Sæpe enim florens animus, in putri corpore habitauit.

2. Cor. 12. Nunquã audiuisti dicentem: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs, pro Christo. Cùm enim infirmior, tunc potens sum.* Potior hominis pars est anima, huic additur, quod corpori demitur. Non æstimanda est exigui repulsa, quam maximi oblatio compensat. Quid curas, si te despiciunt mortales, quem suspiciunt & amant immortales? Naturæ est opus, & laus parentum, si nihil est in corpore tuo monstruosum: si te virtutibus ornas, tibi imputatur. *Pulchrius est, pulchrum fieri, quàm nasci.* Quod natura dedit, potest auferre casus: animi bona nolentibus nunquam eripiuntur.

piuntur. Cui deest decor frontis, cõmparet decus mentis; hoc si habet, omnem corporis labem compensavit. Brevis es? Mors te extendet. Longus es, contrahet sepulchrum. Claudus es, ambulare non potes? mente ad cælum euola. In morbo, & lecto iacere cogeris? Assurge animo, si corpore non potes. Pede cares? non cares ratione. Maculam tibi mater in vultum impressit? gratulare tibi, si non & mens tua est maculata. Prolem nactus es bestiaẽ similem? fortasse & tu ipse sicut bestia vixisti; mitte querelas, si tibi parem vel Deus, vel natura sobolem dedit. Gibbum tergo tuo mater iniecit? porta hanc farcinam patienter, quæ te semper monet, quantum onus, pro tua salute, Dominus gestarit. Caluus es? & magnus Propheta caluus fuit. Oculos amisisti? clausa est fenestra, per quam mors intrare potuisset. Exfurdatæ aures vocem non admittunt? Ergo neque conicia, neque contumelias, neque adulationes, neque detractiones, neq; mendacia. O quot hostes excludunt! Nescis loqui? ô quantis peccatis liber es! Ita non reddes summo iudici de otiosis verbis rationem; ita nulli maledices; ita non peierabis;

peierabis; ita obscœna non proferes; ita nullius famam subhastabis. Brachijs truncatus es? nec teipsum vestire, nec cibum ori inferre potes? Ast alij te vestiunt, alij pascunt; ita pro duobus brachijs duos famulos, aut plures accepisti. Denique si monstrum esse non vis, si horrescis monstrositatem, ne te subijce malo dæmoni, ne mancipium esse velis vitiorum; his enim qui seruit, omnium monstrorum est monstruosissimus; & inter longè truculentiora monstra, in Acheronte, æternùm sedebit. Qui autem seipsum ornat pietate, quamvis sit deformis, non solùm facilè & speculum suum, & oculos alienum contemnet; verùm etiam in altera vita, siue puer, siue senex; siue rufus, siue canus ex hac discedat, formosus & pulcher, inter formosos & pulchros, arcana Dei consilia, & providam bonitatem lætissimè laudans

Psal, 104.
5.

cantabit: *Mementote mirabilia eius,
quæ fecit: prodigia eius, & judicia
oris eius.*

F I N I S,

INDEX